



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 36. Saraceni Romæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

pis tradiderunt, dicentes, Regem & ipsos Sæculum IX.
nihil amplius de eorum Capitulis acce- A. C. 847.
ptasse. Ursmarus erat Archiepiscopus
 Turonensis, & Amalon Lugdunensis, qui
 in Conciliis præcedentibus non nomi-
 nantur.

Articuli Epernacenses sunt numero
 novemdecim; quippe ad hanc paucita-
 tem Proceres octoginta Canones Mel-
 denses redegerunt, & positis illis, qui ad
 Ecclesiasticos spectabant, omnes ceteros,
 qui ad emendandos ipsorum Laicorum
 mores tendebant, rejecerunt.

§. XXXVI.

Saraceni Romæ.

Interim Itali semper Saracenorum arma Ann. Fuld.
 vel experiebantur, vel timebant. Cum Et Bertin.
 volveretur annus octingentesimus qua- 846. Anast. &
 dragesimus sextus Saraceni ex Africa, in Leon. IV.
 qui & Mauri dicebantur, mense Augusto
 Tiberi adverso Romam devehuntur, &
 quia muros superare non poterant, Ec-
 clesias S. Petri & S. Pauli extra urbem
 positas diripiunt, omnem cultum & di-
 vitias, atque etiam Altare argenteum,
 quod erat supra sepulchrum S. Petri, au-
 ferunt. Relicta Roma Fundos perve- Chr. Cassin.
 niunt, quam civitatem cum, multis in- l. I. c. 27.
 terfectis, igne succendissent, captivos se-
 cum trahentes mense Septembri prope
 Cajetam castra metantur. Missæ a Præ-
Hist. Eccles. Tom. XI. Ff fecto

Sæculum IX.
A. C. 847.

fecto Spoletano Francorum copiae turpiter victæ fugam capeffunt. Has dum Saraceni persequuntur, ad loca deferuntur vicina Monti Cassino, cujus Monasterii ingentes esse divitias fama perceperant. Sed cum nox rueret, tentoria fixerunt, rati opimam prædam sibi eripi non posse; nam nulla erant Monasterii munimenta, & unico rivo, cujus vadum facile teneri posset, dividebantur. Fratres præsentissimo mortis periculo perculsi nudis pedibus & cinere capillis insperso ad Ecclesiam S. Benedicti procedunt, ibique in lacrymis & oratione pernoctant. Tunc cæli serenitas, quæ erat maxima, subito inductis nubibus turbatur, ruit copiosissimus imber, & ita excrescunt aquæ, ut transire nemo valeret. Mane Saraceni ex castris profilientes vadum quærunt aut cimbæ, & utraque spe fallente dentibus frendent, & admordent digitos. Tandem amissa præda, postquam duas Cellas seu prædia Monasterii, quæ trans rivum erant, incendio vastassent, ringentibus ad sua castra redeundum fuit.

§. XXXVII.

Sergii II. obitus. Leo IV. Papa.

*Ann. Bert.
847. Anast.
Papeb.*

Saracenis etiamnum in Italia grassantibus improvise Sergium II. Papam mors e vivis eripuit vigesima septima Janua.